



Philimerus Gadarici filius tam regni, quam magnifici paterni nominis heres factus est. eius enim res gestas non tantum imitatus, verum etiam longe superavit. Nam quum deprehendisset, Scythas amissam libertatem gladio & armis recuperare, atque seruitutem a suis ceruicibus excussam Gothis restituere uelle, primo statim sui regni anno totam gentem Gothicam ad arma excitauit, atque cum liberis & mulieribus expeditionem contra Scythas suscepit. Hoc modo Gothi antiquis suis sedibus relictis, omnes (Massagethis exceptis, qui remotius ad littora maris Sarmatici habitabant) uersus Scythiam profecti sunt. Ibi Scythas ingenti praelio uictos suis se-

dibus expulerunt. nec ante quietuere Gothi, quam usque ad confinia Maotidis paludis peruenere. Hic Philimerus pontem magno molimine construxit, & partem copiarum in alteram ripam traduxit,